

§. 17. Ex hujus quæstionis explicatione facile etiam solutio peti potest illius; *An nimirum anima rationalis in omnibus sit una numerò, an verò in singulis peculiaris?* Nonnulli qui animam rationalem formam assistentem statuerunt, eam non multiplicari secundum hominum numerum putarunt, sed dixerunt in tota humana specie esse unicam, quæ in omnibus hominibus intellectiois causa sit; quam opinionem apud Gregorium Horstium *exercit. 9. quæst. 7.* cum Averroë fovisse dicuntur Cardanus *de subtilitate & Mirandulanus de evers. singul. certam. l. 32. sect. 1. & l. 33. s. 2. & 6.* Atamen hæc sententia auditu absurda procul à rei veritate distat: Omnis enim forma informans qualem animam rationalem esse evicimus in §. 16. multiplicatur ad individuorum multiplicationem: Et sanè si esset una numerò anima in omnibus hominibus, omnes homines essent unus homo, haberent enim unam formam. Deinde operationes atque intellectioes multiplicantur in hominibus secundum individuorum numerum, atque alia est Petri, alia est Pauli intellectio. Ergò etiam anima tanquam actus primus harum operationum est multiplex. Denique in uno intellectu essent hominum opiniones contrariæ; Hic enim hac de re illam fovet sententiam, ille aliam. Sed cum veritas h. l. luce meridianâ sit clarior, ideò non diu in re manifestâ est laborandum.

§. 18. Quia itaque quilibet homo animâ rationali, à qua corpus ejus informatur, sit instructus, oritur hæc quæstio, utrum in homine hæc anima rationalis realiter & secundum substantiam suam sit distincta à reliquis animabus materialibus, vegetante scilicet & sentiente, ita nempe, ut tres realiter distinctæ animæ, vegetativa, sensitiva & rationalis dentur in uno quolibet homine? An verò homo unam tantum habeat animam, quæ reliquarum facultatibus instructa tam varias edat operationes, quæque, ut D. Gregor. Nyssenus in *lib. de Homin. Opif. c. 11.* ait, *totum humanum corpus instar ferè musici instrumenti fabricatum connectat, regat, ac moveat, omnesq; illius functiones per diversa organa & facultates*

admi-

*Ad Gregor.*